




AD

FUNEBREM SOLEMNITATEM CONDISCIPULI,

JUVENIS LITERATI ET INGENUI,

FRIDERICI VVESTPHALII,

STETINENSIS POMERANI,

PARENTUM SUORUM UNIGENITI DESIDERATISSIMI,

NATI

Ann. ær. cIↄ Iↄc XXVII. ID. VIIIbr.

DENATI,

Ann. ær. cIↄ Iↄc XLVII. PRID. NON. FEBR.

IN TEMPLO JACOBÆO URBIS PATRIÆ

IIX. FEBR.

CONSUETIS CEREMONIIS HUMANDI,

STUDIOSA JUVENTUS IN REGIO GYMNASIO STETINENSI

INVITATUR

à

RECTORE

M. JOH. MICRÆLIO.

Typis GEORGII GOETSCHII.





Vintum Rectoratus mei annum, qvo pene egressus sum, sic finiri jam posse credebam, ut, cùm hactenus aliqvis è Studiosæ nostræ Juventutis cœtu qvotannis fato subito ex hac vita surreptus, reliqvis exemplum mortalitatis præbere jussus sit, exeqvialis curæ pro Discipulo tumulando vacuus essem, præsertim qvia aliqvis Professorum nuper in flore ætatis ereptus, pijs fatorum decretis satisfecisse, & nostræ nos fragilitatis sat commonefecisse videtur. Sed ecce cum salvos vos omnes, FILII, existimabam, præter omnem cadit opinionem ingenuus inter vos Juvenis, FRIDERICUS VVESTPHALIUS, Stetinensis. Primus annus rapuit VVolgastanum; alter Rostochiensem; tertius nobilem Neo-Marchicum; qvartus Lübecensem. Vos, Stetinenses, forte extra teli lethiferi jactum vos credidistis: & propterea oportuit VVESTPHALIUM funus fieri, ut nec vos qvicqvam ab ætatis robore vel in crastinum vobis porro promittatis. Illius, ut cum Statio loqvar,

- - media cecidere abrupta juventa
Gaudia, florentesq; manu scidit Atropos annos:
Qvalia pallentes declinant lilia culmos,
Pallentesq; rosæ primos moriuntur ad Austros,
Aut ubi verna novis expirat purpura gratis.

Genæ igitur rubentes, lacerti firmi, cincinni crispi, omnia in vobis vernantia, ne vobis imponant. A tergo non insidiatur mors, sed in ipsis hæret membris: nec qvicqvam in vobis vitæ est, nisi qvod à sapientia animæ est. Qvæ vobis sub specie cutis vel carnis pinguntur, continua morte absorbentur, qvia perpetuo fluxui obnoxia sic abeunt per insensilia effluvia, ut ungves vobis protruduntur & crines: nisi qvod hi forpice debeant demeti, reliqva membra ultro qvotidiè diffluant, ut [substantia eorum] continuo nutrimento sit reparanda. Hic vester Condiscipulus anno ær. Chr. cIↃ IↃc XXVII. ipsis Idibus Octobribus, hora IV. pomeridiana in lucem editus, vix complevit XIX. ætatis annum: qvem qvi nondum attigistis, unde vobis eum pollicemini? qvi superastis, unde crastinum?

num? Pater ejus Amplissimus & Consultissimus Vir Dn. GREGORIUS WESTPHALIUS, utriusq; Archidicasterij in Pomerania jam ultra biennium vicenarius Advocatus & Procurator, inq; inclita hac urbe Senator: & Mater, fæmina lectissima, ANNA HOHENHOLZEN ex antiqvissima & Patricia familia Hohenholziana, qvæ in patre ipsius ALBERTO, Senatore urbis, in linea masculina defecit, hunc unicum habuere filium :. Qvot vota putatis pro caro capite ab illis interposita? ἡ φύσις φιλότεκνον, inqvit Philosophus ex Euripide: Qvodcunq; peperit natura, ejus amans est. In aliqvo liberorum numero, par est parentum in omnes eademq; pietas, dicente Qvintiliano, ut habeat qvidem in aliqvo filio plerumq; proprias indulgentiæ causas, salva tamen caritatis æqvalitate, sit qviddam, per qvod tacito mentis instinctu singulos rursus tanqvam unicos amamus, in diversos tamen effusi. Sin in uno omnis affectus vertitur, & universa spes nominis familiæq; ab interitu vindicandæ in plures non incumbit, atq;

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis,

assiduæ pro ejus vita in peritura alioqvin familia fiunt deprecationes. Hinc vix sine lacrymis verba, qvibus defuncti juvenis parens, amicus mihi à teneris in hoc Gymnasio notus & admodum familiaris, unici filij obitum mihi significavit, lego. Summis viribus se in id scribit incubuisse, ut filius benè informaretur, eumq; in finem selectos juvenes & Academicos ejus studijs adhibuisse, nullisq; pepercisse sumptibus. Jam esse eum ereptum: jam omnem curam omnemq; sollicitudinem frustratam. Librorum magna cura & sumptibus haud exiguis comparatorum nullum jam heredem, qvi in illis patrisset, superare. Si orbus parens tam graves de morte filij nectit qverelas, qvas eum pro vivo adhuc & spirante preces fudisse existimatis? Sed

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit. Observant, qvam statuere, diem.

Ideoq; & sibi auriculam à Poëta tangi sensit:

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Rata sunt, inqvit Seneca, & fixa, atq; magna & æterna necessitate ducuntur. Qvid si igitur & in vos, vel in hanc horam decreverint extrema? Mors, qvasi saxum Tantalo, semper impendet.

Qvis ſcit, an adjicient hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dij ſuperi?

Fruſtrà declinatur, qvod cœlitus incidit. Condiſcipulus hic veſter ſpes veſtris certiores fovere poterat, qvia pro unico filio parentum vota, qvæ vobis fortè negantur, audiebantur crebriora: nec tamen ſervari poterat. Caveat qvisq;, qvod cuiqvam poteſt contingere.

Interim nobilem annoſæ arboris ſurculum emarcuiſſe, dolemus. Avos defuncti, Proavos & Tritavos & plures ex utriusq; parentis majoribus, qvi multis ſeculis in Conſulari & Senatoria dignitate apud nos eminuere, huc poſſemus accerſere. Sed cujus genus laudamus, ejus parentes commendantur, non ipſe.

Hunc autem juvenem novimus ſic à primis incunabulis rerum ſuarum ſategiſſe, ut, qvantum per ætatem fieri potuit, ſit ab eo præſtitum. Parentes eum devoverant ſapientiæ ſtudio, ut qvondam conſilijs patriam, aliosq; juvaret: ipſeq; ultro inclinabat in literas, & deductus primo in Scholam Senatoriam, dein curæ domeſticorum Præceptorum ex Academijs evocatorum, commisſus, tandemq; ſuperiori anno V. Cal. Maij in illuſtre noſtrum Gymnaſium à me introductus, nihil omiſit, qvod probum decet & ingenuum Diſcipulum. Id omnes, à qvibus in literis & pietate Chriſtiana eſt informatus, verè teſtantur, nihil unqvam ab eo ſuſceptum, ob qvod ſeverius fuiſſet corripiendus. Nativa enim probitate inductus, ab incompoſitis moribus affectibusq; pravioribꝰ ſemper ſeſe abſtinuit, procul injurijs ſodalium, qvia, qvi neminem unqvā læſit, indignus omnibus videbatur, qvi læderetur. Hinc parentes teſtantur, nullas unqvam de eo qverelas ſeſe inaudijſſe. Idem affirmamus Præceptores. Vix autem in numerum meorum Diſcipulorum receptus, Muſas Gymnaſij noſtri ſalutaverat, omni animi niſu jam illis & Philoſophiæ operaturus, cum gravi capitis & cordis morbo correptus, domi pene continuo ſubſiſtere cogeretur: & qvanqvam remittebant ſæpe Symptomata, & meliora ſperabantur, plerumq; tamen menſe aliqvo circumacto tanto impetu ejusmodi convulſionibus denuo vexatus eſt, ut qvas in cauſas Medici morbum conjicerent, vix invenirent. An præter naturæ vim malignitati hominum aliqvid indultum ſit, ſolus novit, qvi omnia. Duobus abhinc menſibus poſt gravem in Recidiva decubitum, & qvidem

numero

numero decimum, rectius habere videbatur, ut vestimentis sibi circumjectis ad res agendas esset aptior. Cumq; illuxisset dies à festo Purificationis proximus, & defunctus non saltem prandentibus satis integris viribus adsedisset, sed & hymnis pijs decantatis postea diem ad horam sextam produxisset, subito dolores cœpit sentire acutissimos, & accedentibus cordis & reliqvorum membrorum convulsionibus hora seqventis diei sexta matutina, ad meliora evocaretur. Sic intra XII horas vires & constabant & affligebantur & prorsus evertebantur. Qvo anima abierit, ex vita pie anteacta & suspirijs sub extremum agonem calidissimis facile est intelligere. Dum vixit, se non sibi, sed DEO vivere sciebat. Ideoq; & in Ecclesiæ societate sacris, qvandocunq; per morbos licuit, interfuit, precibus gratiam cœlestem assiduè provocavit, & subinde mystico pane & potu refectus, se ad hunc casum mature præparavit. Toto illo tempore, qvo domi hoc ultimo anno sese continuit, tribus vicibus salutarem Sacramenti hujus gratiam sibi fieri voluit: & qvanqvam ob intensissimos capitis dolores, oculorum acies hebescebat, sacris tamen legendis unicè delectabatur, ut paratus esset, qvacunq; hora à Sponso anima evocaretur. Contigit id, qvod dixi hora VI. matutina, die Nonas Februarij præcedente: & qvidem cum paulo ante obitum morbi vehementia aliqvid remitteret, & adstantes varijs Scripturæ Sacræ dictis animum in Deum erigerent, omnia intellexit, validisq; suspirijs, & complicatis manibus devotionem contestatus, placide tandem expiravit. Exuviæ corporis hodie terræ mandabuntur: cui, ut omnes & singuli freqventi decentia intersitis, humaniter à parente invitamini. Anima vivit cum Deo: & erit tempus, qvo iterum corpori, ututin cineres redacto, denuo ad sereniorem vitam, qvam nulli morbi aut damna infestent, uniatur. Plinius qvidem mortuorum resurrectionem vocavit puerilia deliramenta, & ridet Democritum, qvi iterari vitam mortemq; credidit, nec tamen revixit ipse. Æschylus etiam exclamat: ἅπαξ θανόντος ἐκ ἔστιν ἀνάστασις: qvod sic exprimit Catullus: Soles occidere & redire possunt;

Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est properuo una dormienda.

Sanior videtur Phocylides, cum, etsi Gentilis Philosophus, canit:

καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
Λείψαν' ἀποχομένων - - -

Credi-

Credimus è terra in lucem mox prodere posse
Defuncti cineres - - -

Nec opus est, ut qværamus, unde de corporum restitutione Phocylides hæc habuerit. Sibyllas enim vel legerat, vel audierat: qvæ per qvem de mysterijs fidei edoctæ fuerint, cõnstat. Nec absurda videri potuit corporum in cineres dissolutorũ cum anima iterata unio. Qvi enim socias præstiterunt sibi operas in vita, si justa Dei pensites judicia, in præmijs etiam & pœnis sustinendis omnino sociandi videntur. Est anima princeps causa actionum: solitaria tamen non est. Caro ministra est, etsi anima autor est. Servus qvoq; sive puniendus est, si Domino jubente sicam gessisse deprehenditur; sive præmio cohonestandus, si in hostes fortiter egerit. Aut igitur posse Deum corpora resuscitare nega, aut nolle. Si non vult, aut injustum est, aut indignum Deo. Sed injustum non est, qvia nec illis, qvi ad præmia vel pœnas resurgunt, injuria infertur, nec alijs, qvia, cum suum cuiq; datur, nemo omnino læditur. Nec Deo indignum est, corpora putrefacta in integrum restituere. Si enim, qvod minoris est, limum scilicet jungere & corpus condere, qvod mori potuit, Deo non est visum indignum, multo minus indignum erit, qvod præstantius est, limum animare & corpus immortalitate donatum denuo producere. Si non potest, aut ignorat, qvid faciendum, aut, si norit, imbecillior est viribus, qvam ut probe efficiat. Sed Deus non ignorat, vel qva particulam, vel qva totum, corporum resurrectioni destinatarum naturam. Neq; enim latere illum potest, qvo singula ex tabidis membris abierint, & qvæ in se elementorum partes putrefacta receperint, & in cognatam naturam admiserint. Et vires Dei sufficere ad corporum restitutionem, si non aliud, probat ipsorum procreatio. Hinc apud Prudentium sic introducitur loqvi:

- - Possum renovare favillas
Antiqvam in faciem. Nec desperanda potestas:
Qvi potui formare novum, reparabo peremtum.

Non igitur sola anima seponitur: Habet & caro suos sinus, interim in aqvis, in ignibus, in alitibus, in bestijs, inqvit Tertullianus. Nihil igitur officit, qvod, ut est apud Lucretium,

- - nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, & corpora pennipotentum.

Nec

Nec enim ex alimonia, qvam feræ ex corporibus noſtris depaſtis qværunt, pleniorem membrorum numerum conſeqvuntur, nec noſtra caro ab ijs depaſta, membrum fit in ijs, aut ſpeciem, vicemq; membri exhibet. Subſtantiam enim in corporibus animantium diſtingve ab illorum accidentibus: & propterea cum ex noſtris carnibus membra illorum, qva qvalitates, nutriuntur, & qva qvantitatem augentur, qva eſſentiam tamen non mutantur. Ut igitur, cum carnes bovis ventri ingerimus, noſtra caro non inde fit bovina, ſed humana eſt & manet: qvia effluit denuo, qvod ingeſtum eſt, calorq; noſter nativus in alimentum agit aſſumtum, ut humorem aliqvem inde, qvo recreetur, extrahat, & omnia denuo certis ſeceſſibus excernit: ita etiam nulla noſtri pars à belua devorata, ſic conglutinatur beluæ, ut caro ejus dici jam qveat humana. Vorat illa indies nova alimenta: Prius adſumta abſumuntur, & in ſua redeunt principia. Ex cibo igitur & pabulo eſſentia viventium non conficitur, licet illa non ſit ſine cibo aut pabulo, & ex illo aliter atq; aliter afficiatur, ut jam creſcat, jam areſcat, jam frigeat, jam caleat. Subſtantia enim per pabulum adſumtum non augetur, ſed ejus qvantitas. Et qvanqvam corporea eſt in nobis, tanqvam ex elementis inter ſe concinne temperatis conſtans, non tamen, dum homo moritur, ipſa ſic interit, ut in nihilum abeat. Qvod igitur eſt de ſubſtantia corporis mei, me defuncto, non deſinit eſſe: nec deſinit eſſe animus, qvi corpus hic meum regit, utut ab eo diſſolvendus. Deus igitur, ſi velit aliqvando animo varias ſui corporis reddere particulas, poſt mortem qvidem disjunctas, ſed non annihilatas, facillime præſtabit & nullo negotio. Et ſi vel maximè Polyphemus aliqvis me devoraverit, reſuſcitandi uterq; ſumus, ille, ut luat pro immanitate pœnas; ego, ut, ſi probus morior, nihil ſentiam tyrannidem meæ obfuiſſe felicitati. Non deſiderabo tunc ullum horum membrorum. Superflua non habebit Polyphemus. Uterq; integri reſurgemus, nulla parte deperdita. Reddidit Polyphemus, qvod de meo adſumſit: Et ego reddidi, qvæ de carnibus aliarum animantium depaſtus ſum. Uterq; ſine admixtione peregrinæ ſubſtantiæ integri, perfecti & completi coram tribunali comparebimus, & ſapiens ille naturæ Dominus cineres noſtros è ſinibus ſuis evocatos longè facilius, qvam ar-

tifex

tifex statuam auream confractam, inq; tenuissimos particulas diminutam, aut etiam Chymico artificio in pulveres aut aqvas resolutam, eo, qvo pridem ordine & loco fuerant, disponet, ut nihil membrorum mihi, nihil Polyphemo, nihil cuivis alij deesse qveat, juxta aureos versus Tertulliani, qvibus vos valere jubeo.

Si qvem forte rogis abolevit flamma sepultum,
Aut aliqvem cœcis disjecerit æqvor in undis,
Si cujusq; fame satiarunt viscera pisces,
Aut fixere feræ crudelia funera membris,
Alitibus jacuit raptato corpore sangvis,
Ultimo non Domino rapient sua munera magno.
Apparere Deo vivos de morte necesse est,
Reassumtisq; suis homines adstare figuris.



